



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XL. De Consecratione Ecclesiae, vel Altaris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

uno die, licet eodem die plures visitent Ecclesias, sicut plures eodem die visitare debent, si commode possint; quæ proin sumptus inter se partentur. *c. 23. h. t. c. 2. 3. eod. in 6. Trid. lo. cit.*

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesie, vel Altaris.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid sit Ecclesia, Altare, Consecratio, Benedictio, Execratio, Pollutio Ecclesie & Altaris, quæ res consecrari vel benedici debeant.*
3. *Ad quem pertineat Consecratio, & Benedictio.*
4. *Quando Ecclesia, vel altare censeatur execrari, ut opus sit nova Consecratione.*
5. *Quando Ecclesia, vel Cæmeterium pollui, ut opus sit Reconciliatione.*
6. *A quo hæc fieri debeat vel possit.*

PER *Ecclesiam* hic intelligitur ædes sacra, in qua fideles congregantur ad interessendum rei Divinæ, & ad percipienda Sacramenta. Per *Altare* autem lapis ad sacrificandum ordinatus & consecratus: quod aliud est *fixum* seu immobile, h. e. certo loco tanquam basi affixum, cujus saltem superior pars, seu mensa, debet esse lapidea: & aliud *portatile*, seu *mobile* aut *viaticum*, quod moveri & ab uno loco in alium trans-

transferri potest, cujus quoque superior pars debet esse lapidea, ac tantæ capacitatis, ut calicem ac patenam capiat. *Consecratio* verò est *dedicatio Ecclesiæ vel altaris facta DEO à legitimo Ministro, debitâ materiâ* (quæ est oleum & chrisma) *formâ, & intentione Ministri interveniente.* Differt à *Benedictione* per hoc præcipuè, quod ista non fiat per inunctionem olei aut chrisomatis, sed per asperionem aquæ lustralis & certas preces. Præter Ecclesiam & Altaria debent quoque *consecrari Calices & Patenæ*, ad sacrificandum destinatæ: *benedici autem Cæmeterium*, quod est locus ad sepulturam fidelium auctoritate Episcopi deputatus: item *Paramenta* sacra seu vestes, quæ adhibentur in sacrificio, uti *Amictus* seu *Humerale*, *Alba*, *Cingulum*, *Stola*, *Manipulus*, *Casula*, item *Corporale*, *Purificatorium*, *Mappa*, & *Palla*, qua tegitur Calix. Porro licet Ecclesia (vel Altare) semel validè consecrata, reconsecrari nec possit nec debeat. *can. 3. d. 68.* Si tamen aliquid fiat, per quod in morali æstimatione censetur amitti consecratio, dicitur Ecclesia, Altare, Calix, Patena *execrari*, & si non penitus destruat, de novo consecrari debet, ut si amittant formam suam, aut notabiliter frangantur. Si verò aliquid contingat, per quod Ecclesia vel Cæmeterium censetur *pollui* seu *violari*, indiget *Reconciliatione*, ita ut, antequam hæc fiat, ibi celebrari Divina, aut sepeliri fidelis, sine peccato mortali non possit. Sed & Paramenta sacra suam benedictionem amittunt tunc, quando suam formam amittunt, vel inepta redduntur ad usum, ad quem ordinata sunt, ut si ex Stola fiat Manipulus, vel Alba, Humerale &c.

ita lacerentur, ut ad sacrum usum deservire nequeant. Si tamen ad reparandas vestes assuta sit materia minoris quantitatis parti residuæ majori, non opus est nova benedictione, sed pars minor participat benedictionem majoris. *arg. c. 3. h. t.*

- 2 Dico I. Quamvis necesse non sit, ut Ecclesia, ut in ea liceat celebrare Divina, prius consecretur, sed sufficiat, si prius benedicatur, vel saltem ad publicum DEI cultum deputetur ab Episcopo ita, ut ad usus profanos non amplius convertatur.
2. Necesse tamen est, ut Altare consecretur. 3. Item Calix, & Patena, antequam adhibeantur ad usum Missæ. 4. Pariter benedictio Paramentorum debet præcedere. 5. Atque Cæmeterii, priusquam ibi sepeliantur fideles. Pars I. quam tenet communis cum Barbosa *l. 2. J. E. U. c. 2.* Sumitur ex *can. 9. 14. 15. d. 1. de consecr.* quamvis, ubi commodè fieri potest, determinatè consecranda sit. Pars 2. ex *c. 1. h. t. & can. 25. d. cit.* Pars 3. ex communi Doctorum. Pars 4. ex *can. 39. 40. 42. d. cit.* Pars 5. ex *c. 7. h. t.*

- 3 Quæres, ad quem pertineat hujusmodi Consecratio, & Benedictio? R. Ad Episcopum loci. *can. 4. d. 68. can. 25. d. cit. c. 1. de Relig. dom.* & quoad Consecrationem ita, ut ea simplici sacerdoti, & non-Episcopo, committi nequeat tanquam actus Ordinis Episcopalis, nisi per privilegium Summi Pontificis. *c. 9. h. t.* cujusmodi privilegium, saltem ex immemoriali consuetudine præsumptum, quoad Calices & patenas consecrandas obtinent Abbates & alii Prælati usum Mitræ & Baculi habentes. *Benedictionem* verò Ecclesiæ, Cæmeterii, Paramentorum &c. dele-

gare

gare potest Episcopus simplici sacerdoti. Palao *tr.*
22. d. un. pu. 8. n. 2. Et ex privilegio Summi
 Pontificis saltem pro suis Ecclesiis & ad suum usum
 defacto obtinent Abbates, & Superiores Mendi-
 cantium. *Compend. Privil. tum Minor. tum. Soc.*
Jes. Item declar. Cardd. apud Gallemart ad Trid.
f. 23. c. 10. de ref. n. 1. Imò Superiores Regula-
 res saltem vi consuetudinis licitè benedicunt Para-
 menta etiam pro aliis Ecclesiis.

Dico 2. Ecclesia & Altare de novo consecrari 4
 potest, vel debet, si excretur. Communis ex
can. 3. d. 68. Ecclesia autem censetur *execrata*,
 quando corrui, vel destruitur ex toto, aut ex
 parte majori simul & semel, ac iterum restauratur;
 si verò non destruat simul & semel, sed per par-
 tes successivè, ita tamen, ut semper major pars
 maneat, non censetur *execrata*, licèt successivè
 destruat tota, & reparatur, quia semper pars
 minor adjecta majori in æstimatione morali repu-
 tatur consecrari per majorem veterem. *arg. c. 3.*
h. t. & c. un. eod in 6. Altare autem censetur *exe-*
cratum, si mensa superior, sive lapis sit notabiliter
 fractus, vel ita destructus, ut in nulla sui parte ca-
 licem eum Patena, saltem quoad majorem partem,
 possit capere, vel si in Altari fixo lapis superposi-
 tus removeatur à basi seu inferiori structura. Por-
 ro *execratâ* Ecclesiâ non censentur *execrata* esse
 Altaria, quia hæc habent distinctam & specialem
 consecrationem, & *execratio* Ecclesiæ solos ferè
 parietes, ac eorum crustam exterioriorem, in quibus
 fit consecratio, respicit.

Dico 3. Ecclesia, & Cœmeterium, si polluan- 5
 tur, *reconciliari* debent, antequam ibi celebrare

N 5

liceat

liceat Divina, vel sepelire fideles. Censentur autem esse *polluta* 1. per homicidium, aut copiosam humani sanguinis ex vulnere effusionem graviter peccaminosam, eamque notoriam. 2. Per illicitam humani seminis effusionem, aut copulam carnalem, sed notoriam, ac in ipsa Ecclesia vel Cæmeterio factam. 3. Per sepulturam hominis non-baptizati (probabiliter non polluitur, si infans Christianorum nondum baptizatus ibidem sepeliatur) item per sepulturam hominis excommunicati non tolerati notoriam. Cæterum pollutâ Ecclesiâ censentur etiam polluta Altaria, item Cæmeterium (non tamen vicissim) si Ecclesiæ contiguum sit. *c. un. cit.* quia sunt accessoria, & minùs digna, atque pollutio totum Ecclesiæ corpus internum, in quo etiam sunt Altaria, afficit.

- 6 Quæres, à quo, & quomodo facienda sit hæc Reconciliatio? R. 1. Si solum Cæmeterium fuit pollutum, vel Ecclesia quidem, at nunquam consecrata, sed solum benedicta, vel deputata ab Episcopo ad publicum DEI cultum, reconciliari potest à simplici sacerdote per aquam lustralem ordinariam, etiam non expectatâ licentiâ Episcopi. per *c. fin. h. t.* R. 2. Si verò Ecclesia aliquando fuit consecrata, fieri debet ab Episcopo ipso *c. 9. eod.* & quidem per aquam vino & cinere (imò & salè, ut addunt) mixtam, ac ab Episcopo benedictam
c. 4. eod.

TITU.